

XV.

Non aliter itaque DEVS rationes *computat*, neque etiam *subtrahit*, nisi in iustitia illa Christi, nimirum prout illa aut apprehenditur constanter, aut rejicitur finaliter. Hic enim ordo ab ipso destinatus est, & *πρόθεσις* adeo in tuto collocata, ut de ea non amplius dubitari queat, quod omnes, qui credituri sint in Christum, & in fide vera perseveraturi, obtinere debeant salutem aeternam. Majorem illam Propositionem qui in Syllogismo praedestinatorio DEI aliter collocant, videant, quemadmodum ab injuria ipsi illata, se vindicare possint: Non enim nostra est inventio, sed sunt ipsius Servatoris verba *Job. III, 16. Cap. V, 24. XX, 31.* Ab Apostolis adeo frequenter repetita & inculcata *Rom. III, 24. Cap. IV, 5. XVI, 24. X, 11. 13.* unde *subtractio* deinceps aliter suscipi nequit, quam ut DEVS vi omniscientiae & iustitiae suae omnes eos a salute excludat, quotquot novit illi ordini salutis repugnare, idque sua culpa; quandoquidem vocatio ipsorum fuit sufficientissima, iustitia Christi ipsi oblata locupletissima & media omnia gratiae largissima; Ita ut lydius lapis, ad quem non modo DEVS ipse *examinat* hominum omnium actiones, verum etiam homo ipse *scrutinium* sui accuratum instituere potest, alius nullus sit, quam ista *δικαιοσύνη*, de qua hic Apostolus loquitur, & quidem, quod postremo notamus, non *absolute* sed *relative* spectata, quatenus nimirum & hominis causa promerita fuit, ipsi offertur ab ipso constanter ac finaliter apprehenditur. Subeat itaque eos tandem pudor, qui Christum negant *fundamentum Electionis*, qui negant *Electos praevisa fide in Christum electos*, qui negant *intuitu iustitiae illius apprehensae* a Deo ad vitam aeternam quenquam fuisse destinatum, sed ideo potius, quia *destinatus* sit, esse etiam *credentem* affirmant. Qui ordo fictitius, & DEI naturae, & promissionibus omnibus gratiae,

tiae,